



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Quis sit Conceptus formalis Spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

TRACTATUS II.
DE SPE
ET
CHARITATE.
CAPVT I.
DE SPE.

CONTROVERSIA I.

Quis sit Conceptus formalis SPEI.

468. **E**retici nostri temporis volunt Spem non differre ab ipsa Fide, qua credimus aliquid esse futurum, seu absotutè, seu conditionatè. Sed hoc tam absurdum est, quam dicere, actum Voluntatis esse actum Intellectus. Præterea potest quis de salute desperare, & tamen credere salutem esse possibilem, & sub conditione futuram, si media debita adhibeantur. Vltèrius, actus Intellectus respicit Verum vt Verum, siue illud sit Bonum siue Malum: Spes verò non potest esse nisi de Bono, sicut Timor est de Malo. Deinde Spes non potest esse sine desiderio: atqui desiderium est vtique Actus Voluntatis. S. Augustinus prævidens hunc errorem in Enchirid. c. 8. dixit, Fidem & Spem non tantum vocabulo, sed rationabili differentia distingui. Quando ergo in S. Scriptura Fides & Fiducia pro eodem sumi videntur, intelligendum id est, quod Spes innitatur Fidei, & eam præsupponat. Relicto hoc errore,

Controversia sat intricata est, in quonam consistat formaliter conceptus & natura Spei in genere, & quomodo differat à Desiderio: & e contra in quonam consistat Desperatio.

469. Prima quorundam sententia fuit, Spem nihil superaddere desiderio, sed esse ipsum

Desiderium Boni possibile. Secunda fuit, differre à Desiderio, quatenus Spes est de Bono arduo, seu, de objecto quod viribus nostris consequi non possumus, sed alterius auxilio. Ita Vasquez. Tertia fuit, Spem addere Desiderio quod objectum sit difficile, licet non indigeamus alterius auxilio.

470. Quarta est P. Ripaldæ, Spem differre à Desiderio, quod Desiderium stricte sumptum versetur circa Bonum absens vt possibile, Spes verò circa absens vt futurum, & dicit posse vocari latè Desiderium.

471. Quinta est P. Arriagæ 1. 2. d. 30. f. 1. n. 7. & 8. vbi distinctionem adhibet. Sunt enim quædam, quæ ita speramus, vt in nostra potestate sit Media adhibere, per quæ illa consequamur: alia verò sunt, quæ præcisè speramus alterius beneficio nos consecuturos, sine vlla nostra cooperatione. Spes igitur in priore casu secundum Arriagam non consistit in qualicunque Desiderio (quia Desiderium inefficax potest stare cum desperatione) sed consistit in Desiderio Boni probabiliter eventuri, quæ probabilitas nos movet ad ponenda Media. In secundo autem casu Spes non quidem consistit in desiderio efficaci, sed præter desiderium dicit gaudium de probabilitate objecti. Deinde explicat Desperationem cum

Ggg 2

eadem

eadem distinctione, nempe, vel esse Diminutionem Desiderij in ratione Volitionis efficacia, propter Mediorum difficultatem, vel esse cessationem à Gaudio, per tristitiam succedentem ex defectu probabilitatis de objecto eventuro.

472. Sexta Sententia est Card. Pallavicini, Spem esse affectum mixtum, qui dicat in recto Gaudium de probabilitate Boni, & in obliquo amorem ejusdem Boni, de cujus probabilitate gaudeat non gratiâ sui (vult dicere, probabilitatem non esse illam Bonitatem seu finem, cujus gratiâ gaudeat) sed gratiâ illius Boni, cujus est probabilitas, adeoque ad similitudinem medij (vult dicere, Spem gaudere de probabilitate tanquam de medio ad consequendum illud Bonum quod amat) Denique Spes dicit etiam in obliquo Tristitiam, saltem radicalem, de ineventia Boni sperati. Adidit deinde, Spem crescere aut minui ad proportionem majoris aut minoris gaudij quod percipimus ratione majoris aut minoris probabilitatis.

473. Desperationem porrò cap. 14. sic describit. *Est quaedam Tristitia ob impossibilitatem boni amati, physicam vel moralem, antecedentem vel consequentem exercitium nostræ libertatis.* Duplex enim, inquit, potest elici Desperatio v. g. circa nostram salutem. Altera, quæ sit quidam contemptus ipsius Boni possibilis, non quidem contemptus simpliciter, sed comparatione molestiæ mediorum, quæ apparent necessaria ad illud acquirendum, & quæ proinde nolumus ponere. Altera est, quæ quidem non sit contemptus tanti boni comparativè ad vllum aliud bonum, sed proveniat ex certitudine non obtinendæ salutis, eò quòd decreverit non adhibere Media necessaria &c. Hæc Pallavicinus, quæ vix differunt ab ijs quæ tenet Arriaga.

474. Septima Sententia est Card. de Lugo (cui præfuit P. Granadus, *Contr. 2. tract. 4. disp. 2. de Spe. n. 1.*) qui naturam Spei præ cæteris accuratius investigavit. Docet ergo Spem explicandam esse per suum oppositum, nempe per naturam Desperationis, cujus indoles videtur nobis ab experientia notior, quàm Spes. Desperationem ergo, ait, non esse odium illius objecti de quo desperamus, quia potest consistere Desperatio cum maximo amore objecti, sed est Depressio quædam Voluntatis, quæ despondet animum, & avertitur quidem ab objecto, non tamen ex odio illius, sed quasi ex repulsâ; quæ proinde fuga est potius passiva quàm activa; quia desperando non fugimus ab objecto propter aliquam illius turpitudinem, sed potius ab objecto fugamur, seu repellimur & non admittimur, quia se nimis difficile exhibet.

475. Hinc jam econtrario explicat Spem, ejusque differentiam à Desiderio. Nam sicut in Voluntate est duplex fuga, activa & passiva, ita ex opposito est duplex Voluntatis persecutio seu tendentia: prima habet pro motivo bonitatem & pulchritudinem objecti, propter quam voluntas afficitur, & ex parte sua consentit ad unionem

& conjunctionem cum objecto, & hic est affectus amoris & desiderij: postea vero si objectum non omnino repellat voluntatem, sed sum quoque consensum insinuet, tum jam voluntas erigit se, hoc est, confirmat se & animatur objecto procurando, contra affectum desperationis, qui ex aliqua difficultate posset insurgere. Hæc autem Erectio & confirmatio non habet pro motivo formali directo pulchritudinem vel bonitatem objecti, sed potius ejus quasi consensum propter probabilitatem futuræ consecutionis. Vnde Spes semper requirit in objecto arduum seu difficultatem, sine hac enim non potest, esse Erectio seu Confirmatio aut animatio contra difficultates. Arduitas tamen non est motivum formale sperandi, sed potius est illud, contra quod pugnat Spes. Nam sicut mansuetudo non potest esse in injurijs quas perferat, & tamen motivum perferendi, non sunt injuriæ, sed bonum tolerantia, ita Spes non habet pro motivo arduum (alioquin in crescente cresceret Spes, quod falsum est) sed consensum objecti, fundatum in probabilitate, quæ crescente crescit Spes. Bonitas verò objecti est motivum tantum indirectum, quod præsupponitur amatum ad illam animi erectionem. Hæc sunt Auctorum Sententiæ & declarationes Spei, morales potius physica. ^{quæ}

476. DICO 1. Spes non consistit præcisè in Desiderio objecti, sed superaddit tendentiam in probabilitatē seu consensum objecti, non obstante arduitate consecutionis. Probat. Potest crescere desiderium objecti, ex meliori cognitione bonitatis illius, & tamen decrescere Spes, ex apparente majore improbabilitate illius: ergo non sunt adæquatè idem.

477. Confirmatur & probatur 1. Per Conclusionis. Spes objectiva non est sola bonitas objecti, sed bonitas probabiliter eventura: tamen si enim sit optimum, nisi appareat possibile, & ut probabiliter eventurum, non potest existere Spes: ergo Spes formalis non potest consistere in solo desiderio & tendentia in Bonitatem, sed insuper in tendentia in probabilitatem objecti. Qualis autem sit hæc tendentia, postea dicetur.

478. DICO 2. Desperatio non est odium objecti desperati. Probat. Nam dum de objecto desperamus, possumus & solemus illud ardentè amare; & quidem quòd vehementior est amor, eò molestior est Desperatio. Econtra quando rem aliquam odio prosequimur, non dicimur desperare, alioquin qui odisset peccatum, dici posset desperare de committendo peccato: ergo Desperatio tendit in difficultatem & arduum objecti, & in ejusdem incertitudinem, seu in probabilitatem illud non consequendi.

479. DICO 3. Spes non semper tendit in arduum objecti, ut superandam à sperante. Probat. Sæpè speramus aliquid, circa quod non possumus

possumus applicare vllum medium, v. g. serenum celum, pluviam &c. Vnde S. Thomas 9. 6. de Miraculis 4. 9. ad 10. & 11. rectè dixit, objectum Spei non esse arduum faciendum, sed consequendum.

480. DICO 4. Arduum, Possibilitatem, & futuritionem non requiri ex parte objecti secundum esse reale, sed solum secundum esse intentionale. Probatur. Sufficit si non habeatur objecti evidens possessio præsens aut futura, possum enim sperare, me nunc existere in Gratia, aut esse prædestinatum, quod est aliquid præsens realiter, & absens intentionaliter. Debet ergo objectum Spei esse futurum saltem negativè, hoc est non præsens secundum possessionem perfectam, quæ habetur per cognitionem conjunctionis cum objecto, ut tradit S. Thomas 1. 2. 9. 32. a. 1. & 2. in C. Vnde si hæc conjunctio innotescat per cognitionem dubiam & imperfectam, dicitur aliquo modo esse futura, & adhuc absens in ordine ad perfectam possessionem. Idem dicendum de arduitate & possibilitate objecti.

481. DICO 5. Tendentia Desperationis in arduum objecti, non abominatur præcisè difficultatem mediorum, sive, non est mera notio adhibendi media ob suam difficultatem. Probatur 1. Quia, ut vidimus, potest quis desperare de objecto, ad quod consequendum nullum medium ab ipso adhibendum esset. Probatur 2. Etiam casu quo media sunt à me adhibenda, si cerò sciam me pro labore integri diei accepturum florem, propter molestiam tamen laboris nolim laborare, dicendo; *Tanti non facio florem, malo quietem*: hoc casu non possum dici formaliter desperare de lucro per talem voluntatem oriendi, quamvis ex illa possit sequi desperatio: ergo Desperatio tendit præterea in ipsam incertitudinem objecti, & non per meram simplicem displicentiam (sic enim non esset actus liber, & posset cum Spe consistere) sed speciali modo, postea explicando.

482. DICO 6. Spes non videtur sufficienter explicari ab Arriaga & Pallavicino per Gaudium de probabilitate objecti. Probatur. Quia non apparet libertas in tali gaudio, cum necessariò consequatur ad apprehensionem probabilitatis objecti desiderati. Confirmatur. Quando mihi est liberum sperare vel desperare, necesse est quidem, ut in objecto appareat probabilitas illud consequendi, sed tamen cum tantæ incertitudine, quæ posset me inclinare ad desperationem: quo casu, sicut gaudeo de probabilitate objecti, sic tristor de ejus incertitudine: ergo sicut propter hanc tristitiam non dicor desperare, sed tantum inclinari ad desperationem, sic per illud gaudium non dicor formaliter sperare, sed inclinari ad sperandum, alioquin simul sperarem & desperarem.

483. DICES 1. Libertatem sufficienter salvari in ipso Desiderio. Contra 1. Posset contingere, ut Desiderium esset necessarium,

Spes verò libera, nempe si in objecto nulla appareret malitia, appareret tamen ejus incertitudo. Contra 2. Desiderium est indifferens ut conjungatur cum Spe vel Desperatione, ut ipsi adversarii docent: ergo vltima libertas Spei vel Desperationis non potest consistere in illo desiderio.

DICES 2. Gaudium illud non esse gaudium qualecunque, sed certæ rationis. Bene est: restat ergo hæc ratio explicanda, quod erat illis præstandum.

484. DICO 7. Explicatio Lugonis et si valde declaret experientiam quam habemus de Spe & desperatione, necdum tamen videtur esse satis physica & absoluta. Ostendo 1. Vtitur enim (ut etiam observavit Arriaga) modis loquendi valde allegoricis & improprijs, ut: *Erectionis*, *Depressionis*, *Fuga passiva* seu *repulsæ*, &c. Ostendo 2. Quia Spes in Sententia Lugonis habet pro motivo consensum objecti, & Desperatio repulsam: ergo prosecutio voluntatis ex his motivis debet esse vel Gaudium, vel Amor, vel Desiderium; nam philosophi non agnoscunt alium modum prosequendi objectum, ut etiam Pallavicinus notavit. Lugo verò ad nullum ex his tribus vult reducere. Deinde e contra Desperatio debet esse vel tristitia, vel odium, vel timor. cum nullo horum est contentus Lugo. Ostendo 3. Quando liberè spero, ita ut possem desperare, prius naturæ experior me à probabilitate objecti allici & quasi invitari ad sperandum, & simul ob incertitudinem impelli ad desperandum: hæc autem invitatio vel repulsio non consistit semper in mera cognitione objecti, sed superaddit saltem quandoque complacentiam de probabilitate, vel displicentiam de incertitudine objecti: atqui Spes aut Desperatio non potest in his consistere, ut probatum est: ergo Spes debet esse quædam Volitio habens aliquam efficaciam saltem virtutalem: quia est consensus, & non mera simplex complacentia: & e contra Desperatio debet consistere non in mera simplici displicentia, sed in aliqua nolitione virtualiter saltem efficaci. Ut ergo tandem meam opinionem ponam:

485. Noto 1. Dari amorem appetitativum seu æstimatorium, imò omnem amorem esse vel formaliter vel virtualiter talem, quo duo bona amata ita inter se comparantur, vel explicite & formaliter, vel implicite & virtualiter, ut vnum alteri electivè præferamus, si alterutro caendum sit.

486. Noto 2. Rei alicujus pretium & æstimationem minui per rei acquirendam arduum ac incertitudinem: vnde cæteris paribus nemo dat bonum certum pro incerto, & esset contractus injustus, quo quis tanti venderet bonum litigiosum, quanti venderet, si esset certum & securè ac quietè possessum.

487. Noto 3. Bonum aliquod altioris ordinis, etiam non obstante sui incertitudine, posse & solere sæpè pluris æstimari affectu prosequitivo, quàm bonum certum inferioris ordinis.

Ggg 3

v. g.

v.g. Canonicus aliquis non commutaret sapè probabilitatem de consequendo Episcopatu cum aliquo beneficio exiguo, sed certo. Piscatores vendunt certo pretio jactum retis, & probabilitatem capturæ, non vendituri pro inferiore pretio.

Noto 4. Spem vel semper, vel saltem plerumque versari circa bona incerta, & propterea de his maximè nostram Conclusionem explicabimus; nam si Spes potest aliquando versari circa bonum certum, facilè doctrina nostra applicabitur.

488. Noto 5. Spem suscipere magis & minus: dicimur enim multum vel parum sperare, dicitur Spes crescere & decrescere. Desperatio autem strictè loquendo non videtur suscipere magis & minus: nam licet soleamus dicere: nos paulatim desperare, vel, incipere desperare, tantum significare volumus propensionem vehementem ad desperandum! His positis

489. DICO 8. Formalis ratio Spei consistit in Amore vel Gaudio appetitativo seu estimativo, quo liberè probabilitatem boni desiderati, quantumvis arduam & incertam, præferimus alijs bonis impossibilibus: adeoque ultra Desiderium dicit talem actum, quo formaliter vel virtualiter dico: *Ego hujus rei futuritionem, tamen si incertam vel arduam, adhuc tamen in pretio habeo, nec cum hoc vel illo bono, quantumvis certo, commutarem, si reflexè cognoscerem alterutro cendum esse.* Quapropter eò major dicitur esse Spes, quò pluribus bonis impossibilibus præponitur & præestimatur bonum incertum. Probatur Conclusio: quia hac ratione evitantur difficultates aliarum opinionum relatarum, nec patitur aliquam specialem.

490. Confirmari potest ex communi modo loquendi hominum doctorum æquè ac indoctorum: v.g. quando quis vendit alteri fructus incertos, vel capturam incertam, dicitur alicui vendere Spem suam: item, quando quis cum adversario suo paciscitur, ut desistat ab actione, quæ suum jus probabile prosequitur in Judicio, dicitur emisit Spem alterius. Hinc jam

491. Explicatur primò, quomodo possit nobis liberum esse, non solum sperare, sed etiam magis vel minus sperare; nempe, quia liberè possumus probabilitatem objecti magis vel minus appetere, præferendo electivè & affectivè pluribus aut paucioribus bonis impossibilibus.

492. Explicatur 2. Quomodo talis amor habeat naturam Intentionis efficax, sive objectum speratum sit comparandum per media à nobis adhibenda, sive consequendum ex beneficio alterius, sine nostra vlla cooperatione. Semper enim est appetitatio efficax virtualiter, & quidem ex duplici capite. primò, quia vi talis actus sum ita constitutus, ut si in mea potestate esset, commutare probabilitatem illam incertam cum Bono A. B. C. hoc est, si deberem abrenuntiare bono sperato ad consequendum bonum A vel e-

contra, sum, inquam, ita constitutus, ut egerem hoc posterius præ illo; sicut ex simili fundamento dicitur Amor Dei esse efficax, præter Deum omnibus. 2. Est virtualiter efficax, quatenus vi talis actus adhiberemus media, si quæ adhibenda à nobis essent, saltem in eo gradu, quo adhiberemus pro bonis postpositis.

493. DICO 9. Desperatio formalis est actus quidam nolitionis, quo bonum aliquod desideratum propter consecutionis incertitudinem vel impossibilitatem nihili facimus, in alio pretio habemus, cum quovis alio bono commutarem. Declaratur. Quando enim desperamus, tunc omnem animum deponimus illud bonum consequendi, non ex odio aut contemptu illius objecti, sed propter consecutionis incertitudinem vel impossibilitatem, & virtualiter dicimus, nos nolle vllum medium adhibere prolius consecutione: quamdiu enim vel levissimum medium parati essemus adhibere, tandem verum esset dicere, nos necdum penitus desperasse, sed omnem spem deposuisse. Quando ergo consecutio boni apparet incerta & dubia, Desperatio est libera; quando verò apparet evidenter impossibilis, est necessaria.

CONTROVERSIA II.

Quodnam sit Objectum formale Spei Theologicae.

494. PRIMA Sententia est Durandi, assertantis adæquatum objectum formale Spei aliquid creatum, nempe Visionem Dei. Sed hanc Sententiam improbant omnes ceteri; et hac ratione Spes non esset Virtus Theologica, quia non haberet pro motivo vllam perfectionem divinam.

Secunda, valde communis est, objectum formale esse Deum ut nostrum bonum, adeoque complexum ex Deo & visione ejusdem.

Tertia docet, objectum formale adæquatum, esse, Deum ut auxiliatorem, cum ipsius virtutibus quæ conferunt ad præstanda auxilia, velut Scientia, Omnipotentia, Bonitas &c. In Viquez, Maratius, Turrianus, Lugo. Quarta Sententia conciliat secundam & tertiam, & docet motivum formale primum, cuius gratia, est Deum, ut summum bonum à nobis possidendum, objectum verò formale secundarium & ultimum, esse Deum ut auxiliatorem, & ab hoc Spei strictè dictam accipere suam speciem.

495. DICO 1. Objectum formale Spei consideratæ secundum formalitatem desiderii, est Deum ut in se summè bonum, & cuius bonitas intrinseca evadent nostra bona, quando illum vobis & amabimus amore beatifico. Inque objectum, quod desideramus, est Deus, ratio cuius gratiæ desideramus, est ipsa intrinseca beatitudo Dei, summæque felicitas ac perfectio, quatenus